

cum per operationem in ipso, resultat in Angelo ubi intrinsecum, quod proprie non est de prædicamento ubi, sed reductive: est enim directe præsentia agentis ad passum et secundo locati ad locum, quia tale passum est in loco utrumque tamen facit modus ille intrinsece receptus in Angelo, qui vocatur abusive ubi. Hæc est contra p. Suarez lib. IV de Angelis, c. II, num. IX, ubi tenet ubi angelicum pertinere ad prædicamentum ubi. Et capite octavo, numero tertio aperte admittit posse fundari distantiam, et propinquitatem inter duos Angelos, aut inter unum Angelum, et corpus, quod utique petit ubi ita proprium sicut ubi corporum, quatenus ponit situm, et distantiam localem, licet desit circumscriptio corporis locantis. At vero p. Vasquez hic disp. cxcv, censet ubi angelicum esse solum denominationem extrinsecam, quia ipse non aliam præsentiam agnoscit, quam unionem Angeli ad corpus, præsentiam autem ad locum solum dicit esse mediatam quatenus illud corpus cui Angelus adest, est in loco. Quod totum nos dicimus fieri proxime, et formaliter per illum modum qui est præsentia intrinsece resultans in Angelo, licet contactus ex quo ista præsentia resultat, sit virtus ipsa operans Angeli.

XXV. Nihilominus quod in Angelo debeat dari ubi, seu præsentia intrinseca, jam supra in principio articuli, supposuimus, et ostendimus eo quod Angelus vere, et proprie movetur in seipso, si quidem ejus substantia non manet immobilis, nec simul est in cælo, et in terra, sed vere, et proprie descendit de cælo, ut Scriptura sæpe loquitur, et anima Christi vere, et proprie descendit ad inferos, ut est articulus fidei: ergo oportet quod per istum

motum Angelus aliquid acquirat, vel perdat, cum proprie mutetur de uno loco ad alium, et hoc quod per motum acquiratur, seu perditur, non in ipso loco, seu corpore subjectatur, quia locus non movetur, sed est immobilis, id autem quod movetur est Angelus: ergo in ipso Angelo non in loco, seu corpore circumstante debet poni terminus productus per motum. Cum ergo Angelus per illum motum acquirat præsentiam ad diversum locum, consequenter id quod acquirat in se per motum præsentia localis est, et hæc vocatur ubi.

XXVI. Quod vero istud ubi acquisitum per motum localem in Angelo non fit de prædicamento ubi, deducitur ex D. Thoma, tum quia in opusculo XLVIII, tract. de ubi, capite primo expresse rejicit ubi angelicum a prædicamento ubi; tum quia in hac quæstione LII, art. I, affirmat Angelum æquivoce esse in loco et corpus, oportet ergo quod ubi angelicum, et corporeum æquivoce dicantur.

Ratio autem est, quia ubi prædicamentale est illud quod primo, et per se directe facit præsentiam loci, seu distantie in loco, non autem aliud genus præsentie, v. g. agentis ad passum, vel formæ ad materiam, licet talis præsentia ex consequenti inferat præsentiam localem, sicut videmus quod præsentia, et conjunctio animæ ad corpus, in quantum informat illud, non est primo, et per se præsentia ubicalis, licet non possit informare, nisi in aliquo loco; et præsentia vestis ad rem vestitam, licet sine loco esse non possit, per se tamen, et directe non constituit rem in loco, seu ubicatam, sed indutam: ergo similiter si contactus Angeli est virtutis operative erga corpus, vel passive receptus ab alia virtute supe-

riori, portet quod præsentia, seu modus præsentie, quæ ex tali contactu resultat ad corpus primo, et per se sit præsentia virtutis agentis ad passum, vel e contra, et secundo sit ad locum, eo quod tale passum in loco est, sicut anima rationalis cum infunditur corpori primo, et directe habet præsentiam informationis, non ubicationis, licet ex consequenti sit in loco corporis cui unitur. Quod autem anima spiritualis facit informando corpus, Angelus facit agendo, quia est forma activa, non informativa.

XXVII. Et si dicas: Ergo non est necesse Angelum acquirere ubi intrinsecum præter ipsam operationem cum contactu ad corpus, sicut anima rationalis, ex eo quod informat corpus, non acquirat ubi intrinsecum in corpore, negatur consequentia, quia Angelus est in corpore mobiliter, quia potest per motum localem separari a corpore, et ab illo recedere, et alium locum acquirere. Unde oportet quod ejus contactus ad corpus talis conditionis sit, quod in ipso Angelo aliquam præsentiam ponat, quæ possit acquiri, vel perdi, et quia hæc reddit præsentem loco, saltem secundo, ideo ponimus ubi intrinsecum in Angelo, licet quia resultat ex contactu virtutis operative prius efficiat præsentiam agentis, seu operantis erga passum, quam locati erga locum. Anima autem est informativa in corpore immobiliter nisi dispositiones corporis removeantur; et sic non potest per motum localem recedere a corpore, et aliud acquirere: et sic ex vi informationis non oportet quod acquirat ubi, seu præsentiam, quæ possit motu locali in ipsa anima subjectato immediate acquiri, vel perdi, sed quidquid de loco acquiratur vel perditur in corpore subjectatur, et corporaliter ac circumscriptive fit: solum

ergo extrinsece tangit animam. Angelus vero non circumscriptiva corporis locatione movetur, sed per se ipsum ab illo recedit, vel illud tangit.

XXVIII. Denique, probatur hæc pars, quia ubi prædicamentale duas condiciones habet, quæ desunt ubi angelico. Prima est, quod secundum illud mensuratur distantia, vel propinquitas unius ad aliud, quia distinguuntur diversa ubi secundum diversas distantias. Secunda est, quod per ubi habetur circumscriptio corporis locati a locante; unde definitur ubi prædicamentale, quod est circumscriptio passiva corporis locati a corpore locante proveniens. Istæ autem duæ condiciones desunt ubi angelico, et sic non competit illi definitio ubi prædicamentalis. Et quidem hæc secunda conditio, manifestum est quod non convenit Angelo, quia circumscribi non potest a corpore id quod illi non commensuratur, nec sub modo mensurationis ejus continetur. Prima etiam conditio deest, quia unus Angelus non potest directe, et ratione sui fundare distantiam erga alium, ita quod remoto corpore possit ista distantia mensurari inter Angelum, et Angelum: ergo non habet ubi distantiale, ut sic dicam.

Et ratio est, quia distantia est quædam extensio spatii, vel negativa, si spatium fuerit vacuum, vel positiva, si plenum. Hanc autem extensionem, seu distantiam non potest facere Angelus extendendo se per spatium, eo quod caret extensione. Neque potest fundare illam per modum extremi, seu termini, ita ut ab ipso possit tendi funiculus, seu mensura distantie, quia sicut distantia diffunditur per spatium, et per partes ejus, ita terminatur in termino talium partium, seu diffusionis earum in

quem desinit situatio, seu positio partium in spatio: et ita terminus ille habet positionem, seu situationem, cum in ipsum continuatio spatii, et distantiae terminetur. Angelus autem est extra omnem situationem, et positionem, non solum tamquam pars, sed etiam tamquam terminus indivisibilis habens positionem in continuo: ergo non potest ab eo sumi mensura tamquam ab extremo, et termino distantiae, sicut inconvenienter diceretur, quod a visione beatifica Christi Domini, qui est in cœlo, potest sumi mensura, et funiculus distantiae usque ad terram, eo quod visio illa spiritalis, est extra omnes terminos situationis, et distantiae, licet subjectum in quo exercetur, in aliquo loco sit.

XXIX. Quod vero aliqui dicunt ponendum esse in Angelo modum aliquem, qui non solum sit ubi, seu id quod formaliter acquiritur, vel perditur per motum, sed etiam sit ipsa quantitas virtualis Angeli fundans tale ubi, cui potest attribui distantia virtualis, contra hoc est, quia talis modus vel caret fundamento, vel idem facit erga locum quod virtus operativa, et ejus operatio: debet enim talis modus reddere Angelum præsentem aliqua speciali præsentia distincta a circumscriptione, quatenus scilicet non debet contineri a loco, sed locum sibi subicere, et continere, quia spiritui debetur esse, non subjectum loco, si connaturali modo in loco existit. Hoc autem melius facit vis operativa, quia locus, et quodcumque corpus subicitur Angelo tamquam agenti: ergo ratio subiciendi sibi locum debet esse ipsa virtus operativa, quia hæc pertinet ad rationem agentis ut agens est. Deinde, quia ille modus non est substantialis, quia nec est subsistentia, neque existentia, ne-

que unio substantialis: est ergo accidentalis: ergo debet identificari cum aliquo accidente, et non immediate afficere substantiam, sicut figura non afficit substantiam immediate, sed mediante quantitate, et intensio afficit mediante qualitate, et ubi, et situs mediante circumscriptione; et sic omnis modus accidentalis mediante accidente, cum quo identificatur, afficit. Effectus autem illius modi est similis effectui quantitatis in corpore, cum dicatur esse quantitas virtualis: ergo potius debet esse accidens quam modus; et tale accidens non potest esse aliud, quam virtus operativa. Denique, ille modus si pertinet ad quantitatem virtualem, debet esse unus pro omnibus locis, sicut quantitas in corporibus est contactiva omnium locorum, et corporum: ergo non poterit Angelus pro libito se accommodare majori, vel minori corpori intra suam sphaeram, et reddi præsens majori vel minori loco, sicut per quantitatem molis non potest corpus modo majori, modo minori loco attemperari. Quod tamen facile potest Angelus per operationem in corpus, tangendo sua operatione modo majus corpus, modo minus, prout voluerit, et ita operatio prout incipit ab aliqua determinata parte corporis, illi assistentem reddit Angelum, et præsentem.

XXX. Quod si dicas: Quia ex tali operatione non potest resultare ubi intrinsecum in Angelo, quia hoc non potest esse nisi spirituale, cum sit in ipso Angelo receptum, non potest autem ex actione illa quæ tangit corpus resultare ubi spirituale, quia talis actio cum tangat corpus, non producit in illo corpore nisi aliquid corporale, ex effectu autem corporali non potest resultare spirituale ubi in Angelo, respondetur quod ubi resultat, et consequitur actionem Angeli, prout

ab Angelo est, non effectu passivo, quem relinquit in corpore, quia modus illius ubicationis est modus existentis in loco per modum continentis et agentis, non contenti et commensurati a loco. Quando autem Angelus præternaturaliter existit subjectus loco, et passive alligatus illi, jam diximus quod non sequitur talis passiva existentia in loco ex actione propria corporis, ut corporea est, sed ex spiritali operatione superioris virtutis, ut instrumentaliter exercetur per corpus.

Adhuc autem multi inveniunt difficultatem quomodo illud ubi Angeli sit indivisibile, quia in Angelo est, et respondeat divisibili, et extenso loco, cui Angelus præsens est formaliter per tale ubi.

Sed respondetur quod illud ubi subjective, id est, ut tenet se ex parte Angeli in quo subjectatur est indivisibile, et spirituale, sed terminative, id est, ex parte termini quem tangit est divisibile, et extensum, sicut etiam ipsa operatio Angeli, et substantia accommodatur rei divisibili per superioritatem in ipsam, et in se indivisibilis est, et anima nostra corpori divisibili accommodatur, et si in ipsa anima est unio ad corpus, illa spiritalis est, et terminatur ad rem extensam, et ubi sacramentale corporis Christi est indivisibile, et terminatur ad species divisibiles, eisque assistit.

## ARTICULUS II.

*Expediuntur difficultates contra sententiam propositam articulo præcedenti.*

Ad duo, vel tria præcipua capita reduci videntur omnes difficultates, quas auctores aliqui inveniunt contra nostrum modum dicendi. Primo

enim argumentantur a priori, quia Angelus antecedenter ad operationem est in loco. Secundo, aliquibus exemplis, quibus ostenditur Angelum aliquando esse in loco sine operatione. Tertio, ab inconvenientibus.

I. Primum ergo argumentum proponitur sic: Prius natura Angelus est præsens corpori, quam operetur in corpore, et ex corpore: ergo ratio formalis præsentiae angelicæ ad corpus est anterior ad ipsam operationem transeuntem (de immanenti enim non loquimur, quia hæc impertinens est ad existendum in loco, cum non tangat corpus, sed intra ipsum operantem, et potentiam ejus immanenter existat.) Antecedens probatur, tum quia operatio Angeli est causa efficiens ubi angelici: ergo non ratio formalis; tum quia prior est applicatio agentis ad passum, quam operatio circa passum, eo quod operatio Angeli transiens est eductiva, habetque pro subjecto educationis ipsum corpus, seu passum circa quod operatur: ergo oportet quod operatio egrediat ab ipso agente, ut conjuncto tali passo: ergo prius est conjungi, quam operari; et sic prior est ratio formalis præsentiae, et conjunctionis ad corpus, quam operatio.

Confirmatur, quia Angelus movet totum cœlum, et tamen non est in toto cœlo, et potest movere corpus, non motus cum corpore, sed quiescens: ergo operatio non est ratio formalis essendi in loco, alias ubi esset operatio, esset substantia operans.

Respondetur distinguendo antecedens; prius est Angelus in loco quam operetur præsentia ordinis, quæ est præsentia in actu primo, transeat; præsentia completa, et applicata, quæ est in actu secundo, nego. Dicitur præsentia ordinis quando incipit Angelus ordinare se